

mus Deus est, et propter uniuscuiusque proprietatem tres personae sunt? Videtur quod ipse arguat a majori affirmando. Magis enim videtur quod in una persona simplicitas inveniatur quam in duabus simul acceptis. — Respondeo dicendum, quod est locus a minori; quia agit in una persona Patris, et accipit ea quae sunt diversa secundum rationem, ut sapientiam, virtutem et huiusmodi, sed in duabus personis Patris et Filii accipit hoc quod est unum secundum rationem, scilicet naturam divinam quae secundum numerum etiam multiplicari non potest.

Sicut tres statuae dicuntur unum aurum. Videtur hoc esse falsum, quia materia non praedicatur de composito, cum sit pars. — Et dicendum, quod hoc est verum in naturalibus, quorum materia non est tota substantia eorum, sicut in artificialibus quae ordinantur in genere substantiae per suam materiam, ut Commentator dicit (in 2 de Anima, text. 8.); formae enim artificiales accidentia sunt.

Substantia significat communem et circumplecti-
vans speciem ομοεισων, id est, similitudinem speciei ομοεισων,

DISTINCTIO XX.

Ostendo quod aliqua personarum aliam non superat magnitudinem, nunc ostendit quod alia non excedit aliam potentiam.

Nunc ostendere restat, quomodo aliqua harum personarum aliam non excellat potentia; ut sicut una et indifferens est magnitudo trium, ita una et indifferens monstratur potentia trium. Sciendum est ergo, quod non est potentior Pater Filio nec Filius vel Pater Spiritui sancto. Nec maiorem potentiam habent duo vel tres simul, quam singulus eorum; quia nec plus potest Pater simul et Filius, quam solus Spiritus sanctus. Nec hi tres simul plus possunt quam singulus eorum; quia omnipotentiam quam habet Pater, et Filius accipit nascentem, et Spiritus sanctus procedendo. Quod Augustinus rationibus et auctoritatibus probabiliter astruit in lib. 5 cap. 2) contra Maximinum, qui dicebat Patrem meliorem ac potentiorum Filio.

Quod non potest minus Filius quam Pater.

Nihil (inquit) Patre minus habet ille qui dicit (Joan. 16, 13): Omnia quae habet Pater, mea sunt. Nam si minus habet in potestate aliquid quam Pater, non sunt ejus omnia quae habet Pater. Sed ejus sunt omnia quae habet Pater. Tantum ergo habet potestatem Filius quantum Pater. Aequalis ergo est Patri. Non enim potest qui accipit, inaequalis esse ei qui dedit. Tu autem hoc de potentia sapientiae, quod potens sit Filius, sed potentior Pater; ut secundum doctrinam veterum, potens potentem potuerit generare vel regnare, et non omnipotens omnipotentem. Habet ergo Pater omnipotentiam, quoniam non habet Filius. Et si hoc est, falsum est quod ait Filius: Omnia quae habet Pater, mea sunt.

Hoc verum fatebatur haereticus, ex quo progrediebatur ad falsa.

Sed inquit: Pater a nemine potentiam accepit, Filius autem a Patre. Fateatur et nos Filium accepisse potentiam ab illo de quo natus est potens; Patri vero potentiam nullam dedit, quia nullus eum genuit. Gignendo enim dedit Pater potentiam Filio, sicut omnia quae habet in substantia sua, gignendo dedit ei quem genuit de substantia. (Ubi supra.)

Quaestio Augustini, qua aretat haereticum.

Sed quaeritur, utrum ei tantam quantum Iesi est potentiam Pater Filio dederit, an minorem. Si tanta, non solum potentem sed etiam omnipotentem genuisse omnipotens intelligitur. Si vero minorem; quomodo omnia quae habet Pater, Filii sunt? Si Patris omnipotentia Filii non est, non

id est personarum; id est substantia quae communis in divinis dicitur, se habet ad modum speciei, quae colligit plura individua. Sic enim in essentia tres personae ununtur, non ita quod in divina essentia sit species, ut magister exponit.

Dicuntur enim aliqua differre numero quae ita differunt ut hoc non sit aliud. Ratio hujus distinctionis haec est: quia diversitas secundum numerum in his quae simpliciter numerantur, est ex divisione essentiae; unde unum individuum non est alterum, nec aliquid quod est in uno, idem numero est in alio: sed numerus in divinis personis consequitur distinctionem relationum, quae quidem distinguunt supposita, sed non dividunt essentiam; et ideo Pater non est Filius, sed tamen quod est in Patre, est etiam in Filio.

Praeterea cum Deus dicatur trinus, non tamen debet dici triplex. Illius ratio est, quia triplicitas est quaedam proportio contenta sub multiplicitate, quae est inaequalitatis species; et ideo ubi est triplicitas, oportet inaequalitatem esse.

omnia procul dubio quae habet Pater, Filii sunt. At omnia quae habet Pater Filii sunt. 1). Omnipotentia ergo Patris, etiam est Filii. Non est ergo Pater potentior Filio. (Ibid.).

Aliter probat Filium aequalem Patri.

Item alio modo probat Filium aequalem Patri contra Maximinum (lib. eod., cap. 7), ita dicens: Tu dicis, quod Pater genuit Filium minorem seipso; in quo et Patri deo rogas; qui si Filium unicum minorem genuit, aut non potuit, aut non voluit gignere aequalem. Si dicis quia non voluit, eum invidiam esse dixisti. Si autem non potuit, ubi est omnipotentia Dei Patris? Prorsus ad hunc articulum res colligitur, ut Deus Pater aequalem sibi gignere Filium aut non potuerit, aut noluerit. Si non potuit, invidiam; si noluit, invidiam invenitur. Sed utrumque hoc falsum est. Patri ergo Filius verus aequalis est. Genuit ergo Pater sibi aequalem Filium, et ab utroque procedit utriusque aequalis Spiritus sanctus. Si enim formam quam (ut ait Augustinus contra eundem, ibid., cap. 13) Pater in unico Filio plenam gignere potuit, nec tamen plenam genuit, sed inaequalem; cognimini Patrem invidiam dicere. Plenam ergo Deum et aequalem sibi genuit Filium.

Per simile ostendit quod non minorem Pater Filium genuit.

Hoc autem per similitudinem humanam ita esse demonstrat (ibidem) inquit: Homo pater, si potuisset, aequalem filium genuisset. Quis ergo audeat dicere, quod hoc omnipotens non potuit? Adde etiam. Si posset homo, maiorem melioremque seipso gigneret filium; sed majus vel melius Deo quicquam esse non potest. Deus ergo cur non aequalem, ut ais, Filium genuit, cui nec anni necessarii fuerunt, per quos adimpletur aequalitas, nec omnipotentia deficit? An forte noluit? Ergo (quod aliter) invidit. Sed non invidit. Aequalem ergo genuit Filium. Creamus ergo Filium ei esse aequalem.

Opinionem haereticam ponit, ut destruat.

Sed forte dices: Eo ipso Pater est major Filio, quia de nullo genitus, genuit tamen aequalem. Ad quod cito respondeo: Immo ideo non est Pater major Filio, quia aequalem sibi genuit. Originis enim questio est ista, quis de quo sit; aequalitatis autem, qualis aut quantus sit; quod est dicere: ad originem pertinet questio qua quaeritur quis de quo sit; ad aequalitatem vero illa qua quaeritur, qualis aut quantus quis sit. Nec cum dicitur Filius a Patre genitus, ostenditur inaequalitas substantiae, sed ordo natura.

(1) Al. Omnia Filii sunt.

rae: non quo alter prior esset altero, sed quo alter est ex altero. Non ergo secundum hoc quod Pater genuit, et Filius genitus est, vel Spiritus sanctus ab utroque procedit, aequalitas vel inaequalitas ibi existit: quia non secundum hoc alia persona alii aequalis vel inaequalis dicitur. Ecce aequa-

Divisio textus.

Postquam probavit aequalitatem personarum in magnitudine, hic ostendit earum aequalitatem in potestate; et dividitur in partes duas: primo proponit intentum; secundo propositum probat rationibus Augustini, ibi: Nihil, inquit, Patre minus habet ille qui dicit: omnia quae habet Pater mea sunt. Et haec dividitur in duas: in prima Augustinus probat propositum per auctoritatem; in secunda per rationem, ibi: Item alio modo probat Filium aequalem Patri. Circa primum duo facit: primo enim ponitur probatio Augustini; secundo refellitur duplex haereticorum responsio, ibi: Tu autem hoc de potentia sapientiae, quod potens sit Filius, sed potentior Pater. Probatio talis est. Si Filius minus habet in potestate quam Pater, non omnia habet quae Pater habet. Sed omnia quae Pater habet, Filius habet, ut dicitur Joan. 17. Ergo non habet minus in potestate quam Pater, et ita est aequalis Patri in potestate.

Tu autem hoc de potentia sapientiae, quod potens sit Filius, sed potentior Pater. Hic refelluntur responsiones haereticae, et dividitur in duas partes, secundum duas responsiones. Secunda ibi: Sed inquit, Pater a nemine potentiam accepit. Prima responsio haereticae ad auctoritatem inductam, est talis. Verum est quod quidquid habet Pater, habet Filius, sicut bonitatem, sapientiam, potentiam et huiusmodi; sed non tantum habet de unoquoque quantum Pater. Hoc enim non videtur haberi ex auctoritate inducta. Quod refellit Augustinus hoc modo. Omnia quae habet Pater, habet Filius. Sed omnipotentiam habet Pater. Ergo et Filius, et sic tantumdem habet de potentia. Responsio secunda talis est. Etsi Filius habet omnia quae Pater, tamen hoc ipso Pater potentior ostenditur quod hoc Filio dedit. Quod refellit Augustinus hoc modo. Verum est quod Pater potentiam Filio dedit. Aut ergo dedit sibi aequalem, vel non. Si aequalem, tunc sicut Pater est omnipotens, et Filius est omnipotens. Si non aequalem, ergo non omnia quae Pater habet, Filius habet.

Item alio modo probat Filium aequalem Patri. Hic ponitur secunda probatio per rationem; et circa hoc tria facit: primo ponit rationem; secundo confirmat per similitudinem, ibi: Hoc autem per similitudinem humanam ita esse demonstrat; tertio refellit haereticis responsionem, ibi: Sed forte dices: Eo ipso Pater est major Filio, quia de nullo genitus. Probatio talis est. Si Pater genuit Filium minorem se in potestate, aut potuit eum gignere aequalem et noluit; aut voluit, sed non potuit. Si potuit, sed non voluit, invidiam fuit; si voluit, sed non potuit, omnipotens non fuit; quorum utrumque est impossibile. Ergo impossibile est Filium non esse aequalem Patri in potestate, et ad hoc inducit similitudinem de generatione humana, ut patet in littera.

Sed forte dices: Eo ipso Pater est major Filio, quia de nullo genitus genuit tamen aequalem. Hic

litas Trinitatis, et una eademque substantia, quantum breviter potuimus, demonstrata est in superioribus (a dist. 19 hucusque) qualiter scilicet aliqua trium personarum quantumlibet aliam nec aeternitate nec magnitudine nec potentia excellat.

refellit responsionem haereticam. Posset enim dicere quod eo ipso quo Filius est a Patre, est inaequalis sibi. Quod refellit Augustinus sic. Aequalitas et inaequalitas attenditur secundum quantitatem et non secundum relationem. Sed hoc quod dicimus Filium esse a Patre, non designat nisi relationem originis. Ergo ex hoc non ostenditur inaequalitas Patri ad Filium.

QUAESTIO I.

Hic quaeruntur tria: 1.º an Filius sit omnipotens; 2.º an sit aequalis Patri in omnipotentia; 3.º utrum sit aliquis ordo inter Patrem et Filium.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum Filius sit omnipotens.

Ad primum sic proceditur. 1. Videtur quod Filius non sit omnipotens. Potentia enim, ut dictum est, dist. 7, qu. 1, art. 1, dicitur secundum virtutem ad opus. Sed aliqua operatio est quae pertinet ad omnipotentiam Patris, in quam non potest Filius, scilicet generatio activa; non enim Filius potest generare, ut supra, dist. ead., qu. 2, art. 2, habitum est. Ergo videtur quod non sit omnipotens.

2. Praeterea, Deus dicitur omnipotens, quia omnia potest, quod simpliciter possibile est. Sed maximum posse Patris ostenditur in generatione Filii: majus enim est generare Filium in infinitum (1) quam creare caelum et terram. Cum igitur istud posse Filio detrahatur, videtur quod non sit omnipotens.

3. Si dicas, quod posse generare non est aliquid, sed ad aliquid, et ita quamvis Filius non possit generare, non tamen sequitur quod non possit omnia; contra. Cum dico omnia, includo universaliter omnia entia. Sed relativa continentur in entibus. Ergo videtur quod distributio etiam fiat pro relativis.

4. Si dicas, quod intelligitur respectu omnium creatorum, et non respectu eorum quae in Deo sunt; contra. Secundum hoc ratio Augustini in littera posita nihil valeret. Arguit enim, quod si Pater non potuit generare Filium aequalem sibi, non fuit omnipotens. Ergo videtur quod omnipotentia Patris etiam ad generationem Filii se extendat. Sed Filius non potest generare. Ergo non habet omnipotentiam.

In contrarium est quod in symbolo (Athanasii) dicitur: Omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus sanctus.

Solutio. Respondeo dicendum, quod sine omni dubio concedendum est, Filium Dei omnipotentem esse, sicut et Pater; et tamen dicimus quod Filius

(1) Ordo verborum hic est: majus enim est in infinitum generare Filium.

non potest generare. Unde ad intellectum hujus videndum est, quod Deus dicitur omnipotens, quia omnia potest, et quicquid est aliquid vel ens, potest Deus. Sed notandum, quod relatio alio modo dicitur esse aliquid quam alia entia. In aliis enim entibus unumquodque dicitur dupliciter esse: et quantum ad esse suum, et quantum ad rationem quidditatis suae; sicut sapientia secundum esse suum aliquid ponit in subjecto, et similiter secundum rationem suam ponit naturam quandam in genere qualitatis. Sed relatio est aliquid secundum esse suum quod habet in subjecto; sed secundum rationem suam non habet quod sit aliquid, sed solum quod ad aliud refertur; unde secundum rationem suam non ponit aliquid in subjecto: propter quod Boetius dicit quod relativa nihil praedicant de eo de quo dicuntur. Inde etiam est quod invenitur aliquid relatum in quo est tantum relatio rationis, et non ponitur ibi aliquid secundum rem, sicut cum scibile refertur ad scientiam. Et hoc est verum tam in relationibus quae de Deo dicuntur quam de illis quae in creaturis sunt; sed diversimode: quia relatio quae habet esse in creatura, habet aliud esse quam sit esse sui subjecti; unde est aliquid aliud a suo subjecto: sed in Deo nihil est quod habeat esse aliud ab ipso: esse enim sapientiae est ipsum esse divinum et non superadditum, et similiter esse paternitatis. Unde relatio, quantum ad esse suum, secundum quem solum modum debetur ei quod ponat aliquid, est essentia divina; sed secundum rationem suam, per quam habet distinguere unam personam ab alia, non debetur ei quod dicat aliquid, sed potius ad aliquid. Unde quamvis Pater habeat paternitatem quam Filius non habet, et paternitas sit aliquid, non tamen Pater habet aliquid quod Filius non habeat. Sicut: paternitas est essentia; Filius non habet paternitatem; ideo tamen non sequitur quod Pater essentiam aliquam habeat qua careat Filius. Si autem Pater haberet sapientiam et non Filius, haberet aliquid Pater quod non haberet Filius; quia sapientia dicitur aliquid in sapiente etiam secundum rationem suam. Similiter dico, quod cum generare in divinis sit relatio quaedam, et sit aliquid, quamvis Pater possit generare, et non Filius, non sequitur quod possit aliquid Pater quod non possit Filius; sed bene sequeretur, si Pater posset intelligere, et non Filius, quod Pater posset aliquid quod non posset Filius: sicut Pater est Pater, et esse Patrem est aliquid esse, et tamen cum Filius non sit Pater, nullum esse est. Patris, quod non sit Filius, quia omne esse in divinis est essentiae; et similiter omne ad aliquid est ibi secundum rationem essentiae, vel secundum rationem attributorum.

Ad primum ergo dicendum, quod generatio significat relationem per modum operationis, et etiam est operatio aliqua divinae naturae, secundum Damascenum (lib. 1. Fid. orth., cap. 8). Et quamvis generatio non conveniat Filio, non tamen sequitur quod aliqua operatio conveniat Patri quae non conveniat Filio: una enim et eadem operatione Pater generat et Filius nascitur; sed haec operatio est in Patre et Filio secundum aliam et aliam relationem.

Ad secundum dicendum, quod nullum posse detrahi Filio; sed illo eodem posse quo Pater generat, Filius generatur, ut supra, in corp. art., dictum est.

Ad tertium dicendum, quod sub omnibus comprehenditur *ad aliquid*, quantum ad hoc quod habet esse, sic enim *ad aliquid* est aliquid de omnibus, sed non quantum ad rationem *ad aliquid*, secundum quod ad aliud refertur: sic enim non habet quod sit aliquid simpliciter.

Ad quartum dicendum, quod omnipotentia Dei potest comparari ad aliquid vel sicut ad operationem vel sicut ad operationem. Sicut ad operationem, non comparatur ad aliquid quod in ipso sit: quia in Deo nihil est factum; et sic omnipotentia est respectu creaturarum solum; sed comparatur sicut ad operationem ad hoc quod in ipso est, praecipue cum nulla operatio sit ipsius quae sit extra essentiam ejus. Unde omnipotentia Patris extenditur et ad generare et ad intelligere et creare, et breviter ad omnia quae perfectionis sunt; et propter hoc patet quod ratio Augustini efficax est. Nec tamen sequitur quod Filius non sit omnipotens, si non potest generare Filium aequalem sibi, ratione praedicta. Sequeretur tamen in Patre; quia Patri non deest relatio, quae significatur in generatione activa. Unde si negaretur ab eo perfectio generationis, oporteret quod esset defectus in ipsa operatione inquantum operatio est; et hoc redundaret in defectum potentiae. Sed a Filio removetur activa generatio non nisi ratione relationis importatae. Relatio autem, inquantum hujusmodi, nullum ordinem ad potentiam habet, ut ex dictis, distinct. 2. quaest. unic., art. 3, patet.

ARTICULUS II.

Utrum Filius sit aequalis Patri.

Ad secundum sic proceditur. 1. Videtur quod Filius non sit aequalis Patri in omnipotentia. Sicut enim infra dicitur, distinct. 51, quaest. unic., art. 2, potentia appropriatur Patri, non autem Filio. Ergo videtur quod magis Patri quam Filio conveniat; et sic non sunt aequales in potentia.

2. Praeterea, inter habere aliquid ab alio personaliter et essentialiter, quod convenit Patri, dignitatis et auctoritatis est; habere autem aliquid ab alio personaliter et essentialiter, quod convenit Patri, dignitatis et auctoritatis est; habere autem aliquid ab aliquo personaliter et essentialiter, quod creaturae competit, minorationem ponit et defectum creaturae respectu Creatoris. Ergo cum medium sapiat naturam extremorum, videtur quod habere ab alio personaliter et non essentialiter, quod Filio competit, secundum aliquid sit dignitatis, quod est scilicet non habere ab alio essentialiter, et secundum aliquid ponat defectum et minorationem, quod est ab alio habere personaliter; et sic Filius est minus potens quam Pater.

3. Item, ita videmus in creaturis quod nihil receptum ab aliquo est aequale potens illi a quo recipitur; sicut lumen in aere non est aequale potens lumini in sole. Sed potentia est recepta in Filio a Patre. Ergo videtur quod Filius non sit aequalis Patri in potentia.

4. Praeterea, illud quod agit per alium videtur esse potentius eo per quod agit. Sed Pater agit per Filium et non e converso. Ergo Pater est potentior Filio.

Contra, potentia radicitur in essentia. Sed est una essentia Patris et Filii numero. Ergo et una potentia: ergo non est aliqua inaequalitas in potentia, cum omnis inaequalitas diversitatem ponat; sicut enim unum in quantitate facit aequale, ita diversum facit inaequale: quod concedimus.

Ad primum igitur dicendum, quod potentia appropriatur Patri, non quia magis sibi conveniat quam Filio, sed quia majorem similitudinem habet cum proprietate Patris quam cum proprietate Filii: potentia enim habet rationem principii, et Pater est principium non de principio.

Ad secundum dicendum, quod habere essentialiter et personaliter ab alio, importat defectum solum quantum ad hoc quod est habere ab alio essentialiter, id est in diversitate essentiae; ex hoc enim causatur inaequalitas magnitudinis et potentialitatis: quia inaequalitatis causa est diversitas, sicut unitas aequalitatis, ut dictum est, in argum. Sed contra istius articuli: et quantum ad hoc Filius non est medium inter Patrem et creaturam, immo aequali et eadem dignitate convenit Filio sicut et Patri non habere ab alio essentialiter.

Ad tertium dicendum, quod in inferioribus quandoque recipitur aliquid in eadem virtute quae est in eo a quo recipitur, quando scilicet recipiens est proportionatum ad recipiendum totam virtutem dantis, sicut patet in omni generatione univoca, ut quando homo generat hominem, et ignis ignem: quandoque autem non recipitur tota virtus, et hoc est ex defectu recipientis, quod non est proportionatum ad recipiendum totum quod agens influere potest, sicut corpora inferiora se habent ad actionem solis; vel forte ex defectu agentis, ejus virtus est deficiens a communicatione suae similitudinis: sicut una scintilla non potest calefacere aliquid lignum, etiam multum dispositum. Sed in divinis non est defectus ex parte dantis neque ex parte accipientis, cum una et eadem sit virtus utriusque; et ideo quantum potentiam Pater habet, tantam accipit Filius ab eo.

Ad quartum dicendum, quod cum dicitur Pater operari per Filium, non ponitur aliquis gradus potestatis, sed signatur auctoritas in Patre, ut dictum est, dist. 13, quaest. unic., art. 4.

ARTICULUS III.

Utrum in divinis personis sit ordo. (1 p., quaest. 24, art. 5.)

Ad tertium sic proceditur. 1. Videtur quod in divinis personis non sit ordo. Ut enim dicit Augustinus (lib. de Trinit., 19 de Civit. Dei, cap. 15): *ordo est parium dispariumque sua cuique tribuens loca dispositio*. Sed in divinis personis non competit aliqua localis dispositio. Ergo videtur quod nec ordo.

2. Praeterea, Boetius dicit (lib. 1 de Trinit., cap. 4): *Eos sequitur differentia Deitatis qui in Trinitate gradus constituunt*. Sed ubiqueque est ordo, est aliquis gradus. Ergo si in divinis personis est ordo, videtur quod sequatur diversitas Deitatis. Hoc autem est impossibile. Ergo personae divinae non habent ordinem.

3. Praeterea, ubi est eadem aeternitas, simplicitas et dignitas, non videtur esse aliquis ordo: aeternitas enim aequalis excludit ordinem temporis, simplicitas aequalis ordinem causae ad causatum
S. Th. Opera omnia. V. 6.

et partis ad totum, et aequalis dignitas ordinem dignitatis. Sed in Patre et Filio est eadem numero aeternitas, simplicitas et dignitas. Ergo non est aliquis ordo.

4. Item, quidquid est in divinis, aut significat essentiam aut notionem. Sed ordo non pertinet ad essentiam divinam, in qua nulla est distinctio, nec ad notionem, quia nulla notio communis est tribus personis, sicut ordo. Ergo videtur quod in divinis personis non sit ordo.

5. Contra, ubicumque est pluralitas sine ordine, ibi est confusio. Sed in divinis personis est pluralitas et non confusio. Ergo ibi est ordo.

6. Illic etiam videtur, quod Spiritus sanctus dicitur tertia in Trinitate persona; et hoc dicit aliquem ordinem.

QUAESTIUNCULA II.

Uterius quaeritur, an sit ibi ordo naturae: et videtur quod non. Quia omnis ordo importat aliquam distinctionem. Sed in natura divina nulla est distinctio. Ergo nec naturae divinae est aliquis ordo: et ita in divinis personis non est ordo naturae.

2. Praeterea, natura divina est idem quod essentia. Sed nihil est dictu quod in divinis personis sit ordo essentiae. Ergo nec naturae.

In contrarium est quod in littera dicitur.

Solutio I. Respondeo dicendum, quod ordo in ratione sua includit tria, scilicet — rationem prioris et posterioris; unde secundum omnes illos modos potest dici esse ordo aliquorum, secundum quos aliquis altero prius dicitur et secundum locum et secundum tempus et secundum omnia hujusmodi. — Includit etiam distinctionem, quia non est ordo aliquorum nisi distinctorum. Sed hoc magis praesupponit nomen ordinis quam significet. — Includit etiam tertio rationem ordinis, ex qua etiam ordo in speciem trahitur. Unde unus est ordo secundum locum, alius secundum dignitatem, alius secundum originem, et sic de aliis: et ista species ordinis, scilicet ordo originis, competit divinis personis. Unde dico quod ordo originis signatur cum dicitur ordo naturae, secundum quod dicitur natura a Philosopho, 3 Metaphys. (text. 3), ex qua pullulat pullulans primo. Unde nomen naturae importat rationem originis: et sic ista duo nomina *ordo naturae* sumuntur in vi unius nominis, ad significandum speciem ordinis: quae quidem species salvatur in divinis personis quantum ad rationem differentiae, scilicet originem, et non quantum ad rationem generis, scilicet prioritatem et posterioritatem, ut in pluribus aliis dictum est. Et hoc patet ex definitione Augustini quam ponit (5 contra Maxim., cap. 14), quod ordo naturae est quo aliquis est ex alio, in quo ponitur differentia originis, et non prior alio, in quo removetur ratio generis. Unde non est concedendum quod sit ibi ordo simpliciter, sed ordo naturae.

Ad primum igitur dicendum, quod illa definitio Augustini datur de ordine secundum locum, qui divinis personis non competit.

Ad secundum dicendum, quod gradus dicitur quaedam speciem ordinis, scilicet secundum dignitatem vel perfectionem, vel locum; et nullus horum competit divinis personis; et ideo nec gradus.

Ad tertium dicendum, quod illa ratio procedit de ordine quantum ad rationem generis, prout

ponit prius et posterius, quod nullo modo divinis competit.

Ad quartum dicendum, quod hoc nomen *ordo* significat notionem, non tamen in speciali, sed in communi, quae determinatur secundum diversa adjuncta; ut cum dicitur *ordo Patris ad Filium*, significatur notio quae est paternitas; et cum dicitur *ordo Filii ad Patrem*, significatur notio quae est filiatio; et similiter patet in aliis; et similiter etiam est de hoc nomine *principium*, quod aliam notionem significat cum dicitur *Pater principium Filii*, et cum dicitur *principium Spiritus sancti*.

Ad quintum dicendum, quod *ordo originis* sufficit ut confusio non ponatur, et ad hoc quod Spiritus sanctus dicatur tertia persona.

Unde patet solutio ad sextum.

Solutio II. Ad id quod ulterius quaeritur, dicendum, quod est ibi ordo naturae, non tamen ita quod natura ordinatur, vel quod Pater naturaliter prior sit Filio; sed ita quod deat rationem ordinis, secundum quod in natura importatur origo. Et quavis secundum rem sit idem divina natura quod essentia, tamen ratio originis non importatur in nomine essentiae sicut in nomine naturae, ratione enim differunt; et ideo non potest dici ordo essentiae, sicut ordo naturae.

Et per hoc patet responsio ad ea quae obijciuntur.

Expositio textus.

Nam si minus habet in potestate aliquid quam Pater, non sunt ejus omnia quae habet Pater. Videtur quod ratio Augustini non valeat sed mutet

DISTINCTIO XXI.

Quaeritur, quomodo possit dici solus Pater, vel solus Filius, vel solus Spiritus sanctus, cum sint inseparabiles.

Hic oritur quaestio, trahens originem ex praedictis. Dicitur enim supra (dist. 19 et 20), quod tantus est solus Pater vel solus Filius vel solus Spiritus sanctus, quantum simul illi tres; et quod duae vel tres personae simul non sunt majus aliquid quam una persona sola. Ideo quaerit Augustinus (in 6 lib. de Trinitate, cap. 7), quomodo haec sane dici possint, cum nec Pater sit solus, nec Filius, nec Spiritus sanctus; sed semper et inseparabiliter (1) et Filius cum Patre, et Pater cum Filio, et Spiritus sanctus cum utroque. Inseparabiles enim sunt haec tres personae. Ad quod ita respondet Augustinus (in eodem, loc. cit.): « Solum Deum (2) » Patrem dicimus, non quia separatur a Filio vel Spiritu sancto; sed hoc dicentes significamus quia illi simul cum eo non sunt Pater. Solus enim Pater, Pater est. Quod non dicitur quia ipse sit solus, id est sine Filio vel Spiritu sancto; sed per hoc Filius et Spiritus sanctus a paternitate consortio excluduntur. Ita et cum dicitur solus Filius, Filius est; vel solus Spiritus sanctus, Spiritus sanctus est; non dividitur Filius a Patre, vel Spiritus sanctus ab utroque; sed a consortio filialis proprietatis excluduntur Pater et Spiritus sanctus; et a consortio processibilis proprietatis excluduntur Pater et Filius. Cum ergo dicitur: Tantus est solus Pater, quantum simul illi tres; per hoc quod dicitur: Solus, non separatur Pater ab illis; esse solus Pater, id est Pater, qui ita Pater est quod nec Filius nec Spiritus sanctus, tantus est etc. Similiter intellige cum dicitur: Solus est Filius, vel solus est Spiritus sanctus. Solus ergo Pater dicitur, ut ait Augustinus (in eodem lib.,

(1) Al. sed inseparabiliter.
(2) Al. deest Deum.

quid in quantum, sic arguens: Omnia quae habet Pater, habet Filius. Ergo Filius non habet minorem potentiam quam Pater. Nec etiam videtur valere hoc quod postea de omnipotentia inducit, quia omnipotentia etiam nominat quantitatem potentiae; et ideo inde peccatum videtur esse utroque. — Sed dicendum, quod quamvis non valeat ex modo arguendi, valet tamen ex natura rei de qua argumentum sumitur: non enim potest hoc quod habet Pater, Filius habere, nisi idem in numero non mutatum: unde oportet quod quantum est in Patre, tantum etiam sit in Filio.

Si dicis, quia non voluit, cum invidiam esse dixisti. Videtur quod non sequitur: quia per eundem modum posset probari quod nullam creaturam meliorem quam fecit, facere potuisset. — Sed dicendum, quod non est simile: quia si negatur rei illud quod sibi debetur, invidia est: non autem si non datur quod ei non debetur. Filio autem ex natura Deitatis aequalitas generantis debetur: unde invidia esset si sibi subtraheret. Non autem debetur creaturae secundum naturam suam amplior perfectio quam illud quod consequitur principia naturae: unde si aliquid in natura rationali superadditur, gratiae imputatur; unde etiam sine invidia subtrahi posset.

Aequalitatis autem, qualis aut quantum sit. Videtur hoc esse falsum: quia unitas qualitatis non causat aequalitatem, sed similitudinem, ut (in 3 Metaphys., text. 11) Philosophus dicit. — Sed dicendum, quod in divinis non attenditur aequalitas nisi secundum quantitatem virtutis. Haec autem quantitas in qualitate fundatur; et ideo dicitur secundum qualitatem aequalitas attendi.

cap. 9), quia non nisi ipse ibi Pater est: et solus Filius, quia non nisi ipse ibi Filius est; et solus Spiritus sanctus, quia non nisi ipse ibi Spiritus sanctus est.

Utrum possit dici: solus Pater est Deus, solus Filius est Deus, vel solus Spiritus sanctus est Deus; vel: Pater est solus Deus, Filius est solus Deus, Spiritus sanctus est solus Deus.

Post hoc quaeritur, utrum, sicut dicitur: Solus Pater est Deus, vel solus Filius est Deus, ita possit dici: Solus Pater est Deus, vel, solus Filius est Deus, et ita de Spiritu sancto: aut. Pater est solus Deus, Filius est solus Deus. Ad quod dicimus, quod Pater et Filius et Spiritus sanctus dicitur et est unus Deus. Et haec Trinitas proprie simul dicitur solus Deus esse, sicut solus sapiens, solus potens. Sed non videtur debere dici a nobis, verbis nostris utentibus, nisi ubi sermo auctoritatis occurrat: Solus Pater est Deus, vel, Pater est solus Deus; ita de Filio, et Spiritu sancto dicimus. Unde Augustinus (in 6 lib. de Trinitate, cap. 9) ait: « Quoniam » volentibus quomodo possit dici: Solus Pater, vel solus Filius; consideranda est illa sententia quae dicitur, non esse solum Patrem Deum verum solum, sed Patrem et Filium et Spiritum sanctum. » Ecce habes, quia non solus Pater dicens est esse solus verus Deus. Item in eodem (ubi supra): « Si quis interroget, utrum Pater solus sit Deus: quomodo » respondebimus non esse? Nisi forte ita dicamus, esse quidem Patrem Deum, sed non cum esse solum Deum. » Esse autem solum Deum dicimus Patrem et Filium et Spiritum sanctum. » Ecce et hic habes, quia Pater non debet dici solus Deus. Atque hic solum in parte subiecti tantum accipere quidam volunt; in parte vero praedicti si solum, concedunt quod Pater est solus Deus. Sed ex verbis Augustini videtur ostendi, quod proprie solus Deus dici debet tota Trinitas; et haec Trinitas, ut ait Augustinus contra Ma-

Etsi de solo Patre praedicta dicerentur, non tamen excluderetur Filius et Spiritus sanctus.

Veruntamen, ut ait Augustinus (3 cont. Maxim., cap. 13), etsi de solo Patre praedicta dicerentur, non tamen excluderetur Filius vel Spiritus sanctus, scilicet quia hi tres unum sunt, sicut in Apocalypsi (cap. 19) de filio legitur, quod habet nomen scriptum, quod nemo scit nisi ipse; non enim inde separatur Pater vel Spiritus sanctus. Et cum dicitur (Math. 11, 27): « Nemo novit Patrem nisi Filius, » non inde separatur Pater et Spiritus sanctus, quia inseparabiles sunt. Aliquando etiam nominantur Pater et Filius, et tacetur Spiritus sanctus; ut Veritas ad Patrem loquens ait (Joan. 17, 5): « Ut cognoscant te, et quem misisti Jesum Christum, esse unum verum Deum. — Cur ergo, inquit Augustinus (lib. 1 de Trin., cap. 9), tacet de Spiritu sancto? Quia consequens est ut ubique nominatur non (sicut Pater et Filius) tanta pace uni adhaerens, intelligatur etiam ipsa pax, quamvis non commemoretur. » Unus ergo istorum nominato, etiam reliqui intelliguntur: quod in pluribus Scripturae locis occurrit.

ximum (3 lib. cap. 12 et 13), intelligitur cum Apostolus dicit (1 Tim. 6, 13): « Beatus, et solus potens; » et ibi (Rom. 16, 27): « Soli sapienti Deo; » et ibi (1 Tim. 1, 17): « Invisibili soli Deo. » Non enim haec de solo Patre accipienda sunt, ut contendebat Maximinus et alii haeretici, sed de Trinitate, sicut et illud (ibid. 6, 16): « Solus habet immortalitatem; » quia secundum rectam fidem ipsa Trinitas est unus solus Deus, beatus, potens, sapiens, invisibilis. Unde Augustinus (in eodem lib., cap. 13): « Cum unus Deus sit Trinitas, haec sit nobis solutio quaestionis, ut intelligamus solus Deum sapientem, solum potentem, Patrem et Filium et Spiritum sanctum, qui est unus et solus Deus. »

Quomodo Trinitas dicitur solus Deus, cum ipsa sit cum spiritibus et animalibus sanctis.

Sed iterum quaeritur: Quomodo ipsam Trinitatem dicimus solum Deum, cum sit cum spiritibus et animalibus sanctis? Ad quod respondet Augustinus (in 6 lib. de Trinitate, cap. 7) ita dicens: « Trinitatem dicimus Deum solum, quamvis semper sit cum spiritibus et animalibus sanctis; sed solum dicimus, quia non aliud quam ipsa Trinitas Deus est. Non enim illi cum illa Deus sunt, vel aliqua alia; sed ipsa Trinitas tantum, non illi vel alia, Deus est. »

Divisio textus.

Ostensa aequalitate personarum, quia usus fuit Magister quibusdam locutionibus in sua propositione, in quibus dictiones exclusivae terminis personarum addebantur, ut cum dicitur: *Solus Pater tantum habet de potentia, quantum omnes tres simul*; et similia: ideo in parte ista inquiri de veritate omnium locutionum, qualiter hujusmodi dictiones exclusivae nominibus divinis adijungi possint. Dividitur ergo in partes duas: in prima inquiri, utrum dictio exclusiva possit adijungi nomini personali in subiecto posito cum praedicto personali; in secunda inquiri, utrum possit adijungi nomini personali quando praedictatur de ipso essentialiter, verbi gratia: *Solus Pater est Deus*, ibi: *Post haec quaeritur, utrum, sicut dicitur, solus Pater est Deus, vel, solus Filius est Deus; ita possit dici, solus Pater est Deus, vel, solus Filius est Deus.* Et haec in duas: in prima ostendit quod hujusmodi locutiones non sint concedendae simpliciter, ut cum dicitur: *Solus Pater est Deus*; in secunda ostendit quod secundum aliquem intellectum concedi possunt; et si concedantur, non sequitur inconveniens, ibi: *Veruntamen, ut ait Augustinus, etsi de solo Patre praedicta dicerentur, non tamen excluderetur Filius vel Spiritus sanctus.* Prima in duas: in prima ostendit quod dictio exclusiva non potest poni ex parte subiecti, quando nomen essentialiter de persona praedictatur, ut cum dicitur: *Solus Pater est Deus*; in secunda ostendit quod nec addi potest ex parte praedicti, ut dicitur: *Pater est solus Deus*; quamvis quidam contrarium dicant, quorum dicta auctoritatibus Augustini refellit, ibi: *Atque solum hic in parte subiecti tantum accipere quidam volunt.* Et haec in duas: in prima ostendit quod nomen essentialiter adjectum dictioni exclusivae, non potest praedictari de singulis personis, ut dicitur: *Pater est solus Deus, et Filius est solus Deus*; sed de omnibus simul, ut dicitur: *Trinitas est solus Deus*; in secunda inquiri, quomodo talis praedictio de Trinitate verificari possit, ibi: *Sed iterum quaeritur, quomodo ipsam Trinitatem dicimus solum Deum.*

QUAESTIO I.

Hic quaeruntur duo. Primo, utrum dictio exclusiva possit in divinis addi ex parte subiecti. Secundo, utrum ex parte praedicti.

Circa primum quaeruntur duo: 1.º utrum possit addi ex parte subiecti termino essentiali cum praedicto essentiali vel personali; 2.º utrum possit addi termino personali cum praedicto essentiali.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum ista propositio, Solus Deus est Deus, sit falsa. (1 p., qu. 31, art. 5.)

Ad primum sic proceditur. 1. Videtur quod haec sit falsa: *Solus Deus est Deus.* Omne enim adjectivum ponit rem suam circa suum substantivum. Sed *solus* est quoddam adjectivum. Ergo cum dicitur: *Solus Deus*, implicat solitudinem circa Deum. Sed sicut dicit Hilarius (lib. 5 de Trinitate, circ. fin.), et habitum est supra distinctione 2, *Nobis neque solitarius est Deus, neque diversus confitendus.* Ergo videtur quod haec sit falsa: *Solus Deus est Deus.*

2. Praeterea, hoc nomen *Deus* intantum habet naturam termini communis, ut quod de Deo dicitur de omnibus personis dicitur, ut cum dicitur: *Deus creat*; vel saltem de aliqua, ut cum dicitur: *Deus generat.* Unde potest fieri descensus sub hoc nomine *Deus*, in subiecto posito pro aliqua personarum. Si igitur haec est vera: *Solus Deus est Deus*, aliqua istarum erit vera: *Solus Pater est Deus, vel solus Filius est Deus, vel solus est Spiritus sanctus est Deus.* Sed quaelibet harum falsa est. Ergo et prima.

3. Item, secundum Philosophum (7 Metaphys., text. 20) (1), *solum idem est quod non cum alio.* Sed Deo, praecipue post rerum creationem, nunquam convenit cum alio non esse, quia in participationem sui esse nec creando adduxit. Ergo non potest dici aliquo modo solus Deus.

4. Contra, proprium est quod convenit uni soli.

(1) Lib. 2 Elench. Sic S. Thomas 1 p., quaest. 31, art. 5, citat, et colligitur ex cap. 3, non Metaph. 7, sicut prius hic notabatur (ex edit. P. Nicolai).